BVLLAE ANTIQVORVM PRIVILEGIORVM PER NONNVLLOS ROMAN. PONTIFICES.

Religioni, & Militiæ Sancti Lazari
Hieroſolymitani
Conceſſorum.

IN NOMINE SANCTAE, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOVERINT vniuerſi, & ſinguli hoc præſens publicum Tranſumpti Inſtrumētum inſpecturi, lecturi, & audituri, q̧ Nos Sanctiſs. D. N. Papæ, eiuſq; Camerarij, necnō Curię cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanæq; curiæ Iudex ordinarius; ſententiarum quoq;, & cenſurarum in Romana Curia latarum, ac quarumcumq; Literarum Apoſtolicarum vninerſalis, & merus executor, ab eodem Sanctiſs. D. N. Papa ſpecialiter depntatus, ad Illuſtriſſimi, & Reuerendiſs. D. Dñi Ioannotti Caſtillionei Religionis, & Militiæ Sancti Lazari Hieroſolymitani ordinis Sancti Auguſtini generalis Magiſtri inſtantiam, & requiſitionem omnes, & ſingulos ſua communiter, vel diuiſim intereſſe putantes, eorūq; Procuratores (ſi qui tunc erant in Romana Curia) pro eiſdem ad videndum, & audiendum varias Bullas Priuilegiorum per diuerſos Romañ Pōtifices Religioni, & Militiæ Sancti Lazari huiuſmodi conceſſorum, ac diuerſa Sumpta diuerſarum Bullarum dinerſorum ſummorum Pontificum ex Regeſtro Bullarum Apoſtolicarum, & Bibliotheca Vaticana exemplata, & debite extracta, vt moris eſt, & authenticata, ac cuiuſdam ſententiæ ſuperinde latæ: necnon Literas Apoſtolicas felicis recordalionis Sanctiſs. D. N. Dñi Pij Papę Quarti, confirmationis, & conceſſionis Priuilegiorum eidem Religioni, & Militiæ innouatorum, & conceſſorum, eius vera Bulla plumbea cum cordulis ſericeis rubei, croceiq; coloris more Romañ Curiæ impēdeñ bullatas produci, recipi, & poſtq̄ productę fuerint, ad videndum, & audiendum ipſas tranſumi, exęmplari, publicari, & in publicam Tranſumpti formam redigi mandari, auctoritatēq;, & decretum noſtrum, & dictæ curiæ per nōs interponi: vel dicendum, & cauſam opponendum (ſi quam habeant rationabilem) quare præmiſſa minime fieri debeant allegandum, per audiētiam Literarum Contradictarum Sanctiſs. D. N. Papę, vt moris eſt, citari fecimus, & mandauimus ad certum peremptorium terminum competentem, vʒ. ad diem & horam infraſcriptas; Quibus aduenientibus comparuit in Iudicio legitime coram nobis pro tribunali ſedētibus, D.

& dictas Literas citatorias in dicta audiētia noſtro de mandato executas, & lectas facto reportauit, citatorum in eiſdem contentorum non comparentium contumaciam accuſauit, ipſoſq; contumaces, reputari, & in eorum contumaciam ſupradicta diuerſa Sumpta diuerſarum Bullarum diuerſorum Pontificum eidem Religioni con-

ceſſarum,ex Regiſtro Bullarum,& bibliotheca Apoſtolica exéplata, & debite. vt moris eſt, ſigillata, & authenticata, necnon Literas Apoſtolicas originales confirmationis,& innouarionis gratiarum, ſub tenore infraſcripto exhibuit, atq; dedit: quas, & quæ tranſumi, exemplari, publicari, & in publicam formam redigi mandari, auctoritatemq;, & decretum interponi per nos inſtanter poſtulauit. Nos tunc Auditor, & Iudex præfatus, dictos citatos non comparentes reputauimus (non immerito) prout erant, quo ad actum, & terminum huiuſmodi ſuadente Iuſtitia contumaces, & in eorum contumaciã ſupradicta Sumpta, ac Literas Apoſtolicas ad manus noſtras recepimus, vidimus, legimns, tenuimus, palpauimus, & diligenter inſpeximus, ſanaſq;, integras, & illæſas, ſanaq;, integra, & illæſa, ac omni prorſus vitio, & ſuſpitione carere reperimus, ipſaſq; ad dicti D. procuratoris inſtãtiam vlteriorem per diſcretum virum Magiſtrum dictæ Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicę Notarium publicum tranſumi, exéplari, & in publicam Tranſumpti formam redigi fecimns, & mandauimus; noſtram, & dictæ Curiæ auctoritatem iudiciariam, & ordinariam interpoſuimus, ac pręſentibus interponimus, pariter & decretum; Volentes, & auctoritate dictæ Guriæ decernentes, ꝙ pñti noſtro Tranſumpto publico de cætero, & in antea tam in Romañ Curia, q̃ extra, vbicunq; locorum, in iudicio, & extra ſtetur; illiq; detur, & adhibeatur talis, & tanta fides, qualis, & quanta dictis originalibus Literis Apoſtolicis inferius inſertis, & cum pręſenti Tranſumpto auſcultatis, & collationatis data fuit, & adhibita, daturq;, & adhibetur, ſeu daretur, & adhiberetur, ſi ipſæ originales Literæ in medium exhibitæ fuiſſent, aut oſtenſæ.

Tenor vero dictarum Literarum Apoſtolicarum, vnde ſupra fit mentio, ſequitur, & eſt talis prout infra, videlicet.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis Neapolitano, Auerſano, & Capuano Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

HODIE emanarunt a nobis literę tenoris ſequentis: Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, Dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus, Militibus, Clericis, ac donatis Militiæ Hoſpitalis Sancti Lazari Hieroſolymitañ ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Ex tenore veſtræ petitionis accepimus, ꝙ nonnulli religioſi, & clerici ſeculares, & laici aſſerentes vobiſcum aliquid quæſtionis habere, aliquando Fratres, nonnulli animalia, & alia bona veſtra pretextu cuiuſdam praue conſuetudinis,

tudinis, temeritate propria audent inuadere, & tandiu detinere p̄
ſumunt, donec ſit eis de huiuſmodi quæſtionibus iuxta eorum be-
neplacitum ſatisfactum, quoniam in vos iurisdictionem non ha-
bent, ꝙ hoc facere poſſint, ordinariam, vel etiam delegatam Cum
itaq; iudicialis ordo ſit in medio conſtitutus, vt nemo ſibi audeat
aſſumere vltionem, & ob hoc prædicta conſuetudo, tanq̄ nullo iu
re ſubnixa, non ſit aliquatenus toleranda; Nos paci, & quieti ve-
ſtræ in hac parte ſollicitudine paterna prouidere volentes, auctori
tate præſentium inhibemus, ne quis occaſione præfatæ conſuetu-
dinis vobis, ſeu nuntijs veſtris per vos deſtinandis per totum orbē
memoratas inferre moleſtias, ac bona veſtra ſine iuris ordine occu
pare, inuadere, ſeu quomodolibet detinere præſumat; Quodq;
de omnibus fructibus terræ, quibus propria induſtria, aut expen-
ſis colitis, & laborare facitis, ac de animalibus, aut de ipſis nutrimē
tis animalium, ac alijs quibuſcunq; bonis veſtris. ſi contigerit ꝙ bo
na prædicta, aut fructus huiuſmodi, aut animalia ipſa, vel ex eis
prouenientia, aliquid vos vendere, vel emere, tam pro ſuſtentatio
ne cuiuslibet veſtrum, aut pauperum Leproſorum, q̄ pro reparatio
ne cuiuſuis domus, aut Hoſpitalis, ſiue Eccleſiæ præfatæ Militiæ,
& per ciuitates, aut caſtra, & oppida, ac portus, pontes, ac barcas,
& loca alia quoruncunq; Regum, & Reginarum, aut Ducum, Mar
chionum, Comitum, Vicecomitum, Baronum, & aliorum Domino
rum, in toto orbe exiſtentium, in quibus pro tempore ſtare, vel trā
ſire, & reuerti debetis, abſq; aliquo impedimento, vos permittant
vendere, vel emere, aut tranſire, & reuerti, & præſertim ſine cuius
nis Pedagij, Datij, Gabellæ, Bulettarum, & quarumcunq; exactio
num ſolutione, Apoſtolica auctoritate mandamus. Nulli ergo om
nino hominum liceat, hanc paginam noſtræ inhibitionis, manda
ti, ac decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis au
tem hoc attentare prȩſumpſerit, indignationem omnipotētis Dei,
ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurū.
& excommunicationis ſententiam ipſo facto. Dat. Viterbij Pridie
nonas Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo. Quocirca diſcre
tioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel
duo, aut vnus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios eiſdē Magiſtro
& Fratribus, ac Militibus, Clericis, & Donatis, ac quibuſcumq; eo
rundem Nuntijs in præmiſſis omnibus, et ſingulis efficacis defen
ſionis prȩſidio aſſiſtentes nō permittatis, vt prȩmittitur, eoſdē, nec
aliquē ipſorū impedire per aliquē ex ſupradictis contentis, in om
nibus Regnis, Prouintijs, et Inſulis totius orbis, in quibus pro tem
pore ſtare, et demorari, tranſire, et reuerti eoſdem contigerit, ven
dere, vel emere, vt prȩfertur, & abſq; Pedagij, Datij, Bullettarum,
ac aliarum quarumcunq; exactionum ſolutione: Contradictores
autem per cēſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compe

 ſcendo,

ſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtanribus ſi aliquibus ex ſupradictis generaliter nominatis, etiam ſi Epiſcopali, vel Archiepiſcopali, vel alia quacunque prefulgeant dignitate, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indulrum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per lireras Apoſtolicas non facienres plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Viterbij Pridie nonas Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM
Dei vniuerſis Chriſti fidelibus ad quos literę iſtę puenerint.

Ex Grego. ix. Anno Domini 1227.

ET ſi vniuerſis indigentibus aperire teneamur viſcera pietatis, illorum tamen ſubuentionibus, gerendo erga eos piæ compaſſionis affectum, ſpecialius, & abundantius renemur intendere, qui diuino percuſſi iudicio, & continuis flagellationibus caſtigati potioribus noſcuntur ſi delium auxilijs indigere. Cum igirur ſicur dilecti filij Magiſter, & Fratres Domus Leproſorum Sancti Lazari Hieroſolymitañ tranſmiſſa nobis petitio monſtrauit, quod rot ſinr grauati debirorum o neribus, quæ pro Terræ ſanctæ ſubſidio contraxerunt, quod venditis iam quibuſdam poſſeſſionibus quas habebant, reliquas in magna parte vendere pro ſoluendis prædictis compellantur: vniuerſitatem veſtram monemus, & hortamur in domino, & in remiſſionem vobis iniungimus peccatorum, quarenus, attendentes, quod idem eſt Dominus, qui eos vulnerat, & vos ſanat, & quod eorum infirmitates veſtris ſunr firmitatibus adiuuandæ, ad ſolutionem debitorum ipſorum, & prædictorum fratrum ſuſtentationem ipſis, vel eorum nũtijs, cũ ad vos acceſſerint eleemoſynas petituri, de bonis a Deo vobis præſtiris grata Charitatis ſubſidia erogetis; vt per hæc, & alia bona, quæ domino inſpirante feceritis, ad æterna poſſitis felicitatis gaudia peruenire. Nos autem de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi omnibus eis manus porrigentibus charitatiuas. xx. dies de iniuncta ſibi pœnitentia relaxamus. Dat. Lateraneñ. xix. Kal. Februarij anno ſeptimo.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM
Dei Magiſtro, & Fratribus Hoſpiralis Leproſorum S. Lazari Hieroſolymitañ ordinis S. Auguſtini.

Ex Alex. iiij.

LECTA coram nobis veſtra petitio continebat, Quod quondã Federicus Rom. Imperator ante latam in eum depoſitionis ſententiam

tentiam circa miſcrabilem conditionem veſtram omni miſeratio-
ne digniſſimam pie dirigẽs compaſſionis affectum, diuerſas terras,
poſſeſſiones, & ſtartias tunc de ſuo demanio exiſtentes in Sicilia,
Calabria, Vallegratis, Apulia, & Terra laboris cum diuerſis ſecula-
rium exactionum exemptionibus vobis pia, & prouida liberalita-
te donauit: prout in patentibus literis eiuſdem formiter confectis
exinde plenius dicitur cõtineri: Nos itaq; veſtris ſupplicationibus
inclinati donationem huiuſmodi ratam, & firmam habentes, eam
auctoritate Apoſtolica confirmamus &c. atq; communimus. Nul
li &c. noſtræ confirmationis &c. Datum Neapoli xij. kal. Martij
anno primo.

S. MARIAE IN VIA LATA DIAC.
Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato.

LECTA coram nobis dilectorum filiorum Magiſtri, & Fratrum Alex. iiij.
Hoſpitalis Leproſorum Sancti Lazari Hieroſolymitañ ordinis
Sancti Auguſtini petitio continebat &c. vſq; auctoritate Apoſtoli-
ca duximus confirmañ. Quocirca mandamus, quatenus eoſdem
Magiſtrum, & Fratres, vel Procuratores eorum nomine ipſorum in
poſſeſſionem terrarum, & aliarum prædictarũ amotis exinde qui-
buslibet detentoribus illicitis auctoritate noſtra per te, vel alios in
ducas, & defendas inductos: Non obſtantibus aliquibus conceſ
ſionibus illicitis, ſeu literis Apoſtolicis a quibuſcunq; religioſis,
vel alijs veritati, & iuſtitiæ præiudicantibus impetratis, vel impe-
trandis, aut conſt. de duabus dietis &c. in Concilio generali, vel ſi
aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultũ quod ſuſpendi, aut inter-
dici, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, niſi de
Indulto huiuſmodi plena, & expreſſa in eis mentio habeatur. Cõ
trad. Datum Neapoli xij. kal. Martij anno primo.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM
Dei Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Leptoſorum S. La
zari Hieroſolymitani ordinis S. Auguſtini.

INtenta Miſericordiæ ſtudijs Apoſtolicæ præeminentia Alex. iiij.
dignitatis ſub continua vobis afflictione gementibus
debet ſic adeſſe propitia, q; miſerabilis veſtra conditio
pœnarum ſuarum percipere gaudeat aliqua lenimen-
ta. Cum itaq; Hoſpitale veſtrum, in quo, ſicut aſſeritis, conuentus
nobilis ſtrenuorum Militum, & aliorum tam ſanorum, q̃ leproſo-
rum pro expugnãdis inimicis Chriſtiani nominis manere ſolebat,
ad extremam fere paupertatem propter guerrarum diſcrimina ſit
redactum, poſſeſſionibus veſtris pro magna parte a paganis, & ho
ſtibus

ſtibus Eccleſiæ occupatis; ita quod inopia veſtra vix releuari valeat, niſi vobis de clementia Sedis Apoſtolicę ſuccurratur: Nos veſtris pijs precibus inclinati præſentium vobis auctoritate concedimus; vt Eccleſiam de Galbij Lincolnien̄ diœc. in qua ius patronatus, ſicut aſſeritis, obtinetis, cedente, vel decedente ipſius Rectore pro veſtra releuanda inopia veſtris vſibus deputare, ac eam per Fratres veſtros ingredi valeatis; ita tamen ꝙ perpetuo Vicario in ea ſeruituro de ipſius prouentibus portio competens, ex qua congrue ſuſtẽtari, & Epiſcopalia, ac alia ipſius Eccleſiæ onera ſupportare valeat; aſſignetur, diœceſaniq; Epiſcopi in omnibus iure ſaluo. Nulli &c. noſtræ conceſſion̄ &c. Dat. Neapoli v. Idus Martij anno primo.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani ordinis S. Auguſtini.

Ex Alex. iiij. CAnonica conſtitutione cauetur, ꝙ Monachi, & Canonici Regulares, quocunq; modo ſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi; ſed ſecundum diſcretionem, & prudẽtiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur: Quod ſi Abbatis diſcretio ad eorum correctionem non ſufficit, prouidentia eſt Diœceſani Epiſcopi adhibenda, niſi exceſſus difficilis fuerit, & enormis; propter quem merito ſit ad Romanam Eccleſiam recurſus habendus. Nos ergo ad vos ſtatutum huiuſmodi duximus extendendum, auctoritate apoſtolica ſtatuen̄. vt in tali caſu (niſi maior ſit prouidentia requirenda) per Priores veſtros, qui, ſicut audiuimus, presbyteri eſſe noſcuntur, Fratribus veſtris abſolutionis beneficium impendatur. Datum Neapoli xi. Kal. Aprilis anno primo.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani ordinis S. Auguſtini.

Ex Alex. iiij. CVM a nobis petitur &c. vſq; effectum. Ea propter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Regulam beati Auguſtini, quam vos aſſeritis eſſe profeſſos, ſicut eam hactenus ſeruauiſtis, vobis auctoritate Apoſtolica confirmamus, atq; communimus: eadem auctoritate nichilominus ſtatuentes, vt regula ipſa a vobis, & ſucceſſoribus veſtris perpetuis futuris temporibus obſeruetur. Nulli &c. noſtræ confirm. & conſt. &c. Datum Neapoli xi. Aprilis anno primo.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM
Dei Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Sancti Lazari Hie
roſolymitani in Burgundia.

EX tenore veſtræ petitionis accepimus, ꝙ nonnulli Cle rici, & laici aſſerentes ſe cõtra vos aliquid quęſtionis habere; aliquando Fratres, interdum vero animalia, & alia bona veſtra prætextu cuiuſdam prauę conſue tudinis temeritate propria vadiare, inuadere, ac tan diu detinere pręſumunt, donec ſit eis de huiuſmodi quæſtionibus iuxta ipſorum beneplacitum ſatisfactum, licet iuriſdictionem ordi nariam, ſeu delegatam in vos non habeant, qua ipſis hoc facere p̄ mittatur. Cum itaq; iudicialis ordo ideo ſit conſtitutus in medio, vt nemo ſibi audeat præſumere vltionem, & ob hoc præfata cõſue tudo, tanq̄ nullo iure ſubnixa, nullatenus debeat ſuſtentari; Nos paci, & quieti veſtræ in hac parte ſollicitudine paterna prouidere volentes, auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ne quis oc caſione præfatę conſuetudinis vobis memoratas inferre moleſtias, aut Fratres, & bona veſtra ſine iuris ordine occupare, vadiare, in uadere, ſeu quolibet modo detinere præſumat. Nulli &c. noſtrę Inhibitionis &c. Dat. Lateranī xi. kal. Decemb. anno ſecundo. Alex. iiij.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM
Dei Magiſtro, & Fratribus Domus Militiæ Leproſorum
Sancti Lazari Hieroſolymitani.

INtenta miſericordiæ ſtudijs Apoſtolicæ præeminentia dignitatis ſub continua vobis afflictione gementibus debet ſic adeſſe propitia, ꝙ miſerabilis veſtra cõditio pœnarum ſuarum aliqua percipiat lenimenta. Hinc eſt ꝙ nos veſtris neceſſitatibus paterno compatientes affectu, vt de vſuris, rapinis, & alijs male acquiſitis (dummodo ij quibus ipſorū reſtitutio fieri debeat omnino inueniri, & ſciri non poſſint) necnō de redemptionibus votorum auctoritate Diœceſanorum prius fa ctis, Hieroſolymitano dumtaxat excepto, vſq; ad ducentarum mar carum argenti recipere valeatis auctoritate vobis pręſentium duxi mus concedendum; ſi pro ſimilium receptione alias non ſitis a no bis huiuſmodi gratiam conſecuti: Ita ꝙ ſi aliquas de ipſis ducen tis marchis dimiſeritis, vel reſtitueritis, aut d̄ deritis illis a quibus eas receperitis, huiuſmodi dimiſſum, vel reſtitutum, ſeu datum nihil ad liberationem poſſit eorum, nec quantum ad illud habeantur ali quatenus abſolnti. Nulli &c. noſtræ conceſſion̄. Datum Viter bij x. kal. Decembris anno tertio. Ex Alex. iiij.

CLEMENS. IIII.

Clemens iiij. anno domini 1266.

CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis
filijs Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Sancti Lazari
Hieroſolymitani ſalutem, & Apoſtolicam benedi-
ctionem. Venerabilibus Frarribus noſtris Archie-
piſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs vniuerſis Eccle-
ſiarum Prælatis, exempris, & non exemptis in virtute ſanctæ obe-
dientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto vos in
curriſſe volumus, niſi inſtanrer hoc præſens mandatum curaueri-
tis diligenter: Et nichilominus ſub pœna officij, & beneficij ve-
ſtri tenore præſentium præcipiendo mandamus: Quatenus cum
aliqui de dilectis filijs Fratribus, & procurraroribus Domorum or-
dinis Leproſorum Sancti Lazari Hieroſolymitañ ad vos, & loca ve
ſtra peruenerint pro capiendis infirmis Leproſis, ſicut Dominus p̄
cepit in lege Moyſi, ꝙ omnes Leproſi eijciantur extra caſtra; ;Volu
mus itaq; ſicut Deo complacet tam mares, q̄ mulieres clerici, & lai-
ci, religioſi, & ſeculares morbo Lepræ laborantes inuenti per eoſdē
Fratres, & procuratores eorū capiātur, & eijciantur extra cum eorū
omnibus bonis tam mobilibus, q̄ immobilibus ad habitationem
cum infirmis alijs Domorum eiuſdem ordinis ſi vero clerici, vel lai
ci mandatum noſtrum in aliquo neglexerint adimplere, volumus
ꝙ peremptorie citetis eoſdem vt corā nobis compareant, prędictis
Fratribus facturi Iuſtitiæ complementum. Datum Viterbij Noñ.
Auguſti Pontificatus noſtri anno ſecundo.

CLEMENS. IIII.

Clemens iiij. anno domini 1266.

CLEMENS Epiſcopns ſeruus ſeruorum Dei Venera
bilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & di-
lectis filijs Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Deca-
nis, Archidianis, Archipresbyteris, & aliarum Ec-
cleſiarum Prælatis, ad quos iſtę Lirerę peruenerint
ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cnm dilectis filijs Ma-
giſtro, & Fratribus Militiæ Hoſpitalis Sancti Lazari Hieroſolymi-
tani fuerit a fe: re: Innocentio Papa prędeceſſore noſtro indultum,
a nobis poſtmodum confirmatum, vt ſemel in anno recipiantur in
Eccleſijs ad eleemoſynas colligendas: quidam autem veſtrum aua
ritiæ ardore ſnceenſi Confratrias ſuas Confraternitati illorum ea-
dem die in ipſorum aduentu proponunt: et ſic Fratres ipſi confu-
ſi, aut nihil exinde, aut modicum conſequantur: Quia igitur hoc
eſt indicens & in contemptum Dei, Eccleſiæq; Romanæ redundat;
prædeceſſoris ipſius veſtigijs inhęrentes vniuerſitati veſtræ p Apo
ſtolica ſcripta mandamus, atq; præcipimus; quatenus cum Fratres

ipſi ad loca veſtra pro eleemoſynis colligendis acceſſerint, beni-
gne recipiatis, & honeſte tractetis, eoſdem ipſis Eccleſijs veſtris ad
monere populum, & eleemoſynas quærere permittatis, Cõfratrias
quas facere poteſtis quotidie, ipſorum Confratrijs, quę ſemel in an
no fiunt, nullatenus præponentes, ne occaſione illarum eleemoſy
næ pauperum Christi depereant, & impediant opera pietatis. De
parochianis autem viris, qui domos illorum inuadunt per violen-
tiam, vel infringunt, aut indebitis moleſtijs opprimunt Fratres ip-
ſos, & de tam depoſita q̃ res decipiunt eorundem, Cum exinde que
rimonia poſuerint coram vobis, tam diſtrictam eis iuſtitiam fa-
ciatis; & ita iura eorum defendere, & manutenere curetis; ꝙ ipſi ad
vos pro defectu iuſtitiæ ſæpe recurrere non cogantur; & nos ſolli-
citudinem, & obedientiam veſtram debeamus merito commenda
re: voſq; beneficiorum quæ in ſancta Domo illa fiunt, participes
exiſtatis. Pręterea liberas, & abſolutas perſonas, quæ ſi domũ
eorum in ſanitate, vel infirmitate reddent, libere, & ſine moleſtia
recipi permittatis ab eis, nec ipſos ſuper hoc reciprocetis aliquate
nus impedire. Illud etiam non mediocriter mouet nos, nec modi-
cum Eccleſiæ derogat honeſtati, quod quidam veſtrum contra In
ſtitutiones ſanctorum Patrum in Boronenſi Concilio editas Fratrũ
Militum, ac Donatorum ipſorum corpora quum decedunt, nolũt
ſine pretio ſepeliri: vnde quia tam praua exactio, & iniqua non eſt
aliquatenus toleranda, in obedientiæ vobis virtute præcipimus vt
nullo modo a Fratribus, & perſonis prædictis, vel alijs pro ſepul-
tura quicq̃ exigere, vel accipere, niſi ipſa ſpontanea decedentium
liberalitas, vel parentum deuotio vobis contulerit, attentetis: ſed
abſq; vllo pretio ſepeliatis corpora mortuorum; vt ſi quis vlterius
hoc attentauerit, taliter aduertatis in eum, ꝙ ſimilia non pręſumat.
Ad hæc pręſentium vobis auctoritate pręcipimus, ne ab eis contra
tenorem priuilegiorum Apoſtolicæ Sedis, de omnibus fructibus
terræ, quibus propria induſtria, aut expenſis colunt, & laborant,
ac etiam de nutrimentis animalium ſuorum, nec de ipſis animali-
bus decimas exigere præſumatis. Cum autem Oratoria, vel Cimi-
teria, ſecundum ꝙ eis eſt beneficium Priuilegiorum Eccleſiæ Rom.
conceſſum, duxerint conſtruenda; vos Fratres Archiepiſcopi, &
Epiſcopi eis pro ſe, & familia ſua tantum Oratoria orantium dedica
re, ac Cimiterium benedicere procuretis; nec aliquis veſtrum con-
tra tenorem priuilegiorum ipſorum id impedire audeat aliquate-
nus, vel turbare. De cętero quoq; Fratres, ſeu Milites, ac Donatos
Militiæ pręfati Hoſpitalis in veſtris Epiſcopatibus conſtitutos, qui
Crucem, & diuinum habitum deponunt, & ꝙ ac per illecebras ſi-
mul, & vitiorum abrupta vagantur, & illos etiam, qui prioribus ſuis
contumaces, & rebelles exiſtunt, & bolinas detinent contra volũ-
tatem ipſorum, moneatis inſtanter, & pro officij veſtri debito com
pellatis,

pellatis ,vt habitum depoſitum reaſumentes in obedientia prelatorum ſuorum deuote, & humiliter perſeuerent, & bolinas, ſiue alia officia per violentiam nullo modo detinere præſumant. Quicũq; autem mandatorum veſtrorum extiterint contemptores, excõmunicationis ſententia eos compellatis; quam faciatis vſq; ad ſatisfa ctionem condignam inuiolabiliter obſeruari. Præterea quicũq; de facultatibus ſibi a Deo collatis Fratribus Hoſpitalis p̃dicti ſubuenerint, & in tam ſancta Fraternitate ſtuduerint ſe collegas, eiſq; beneficia perſoluerint, annuatim eis de Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi ſeptimam partem iniunctæ ſibi pœnitentiæ relaxamus; apoſtolica quoq; auctoritate ob reuerentiam ipſius venerabilis Hoſpitalis facimus, vt his qui eorum Fraternitatem aſſeruerint, ſi forſan Eccleſiæ, ad quas pertinent, a diuinis officijs fuerint interdictæ, ipſoſq; mori contigerit, ſepulturam Eccleſiaſticam non negetis, niſi excommunicati, vel nominati fuerint interdicto, aut etiam publici vſurarij tumulando deferre ad Eccleſias huiuſmodi Hoſpitalis, & oblationes tam pro eis, q̃ pro alijs qui in eorum Cimiterijs requieſcunt, exhibitas ſine alicuius iudicis preiuditio retinere; hoc etiam addito, vt receptiones Fraternitatis eiuſdem, ſeu etiam collectarum ſaluo iure dominorum ſuorum, ſub beati Petri, & noſtra protectione conſiſtant. Adijcimus inſuper, vt ſi eorũdem fratrum qui ad eaſdem fraternitates miſſi fuerint, vel collectas in qualibet Ciuitate, aut Caſtellum, vel vicum, aut alium locum denenerint, ſi forte locus ille fuerit diuinis officijs interdictus, in eorum iucundo aduentu ſemel aperta Eccleſia annuatim, & excommunicati, & nominati interdicto auctoritate diuina ibi officia celebrentur: Salua in omnibus ſupradictis declaratione Cõcilij generalis, ad maiorem quoq; mercedis veſtræ criminaliter. Nihilominus vt ſupra mandando p̃cipimus, quatenus hanc noſtrã Conſtitutionem per Parochias veſtras nunciari proprijs literis faciatis: Mandamus etiam vt ſi qui de clericis Eccleſiarum veſtrarum prędicti Hoſpitalis Fratribus cum licentia Prelati, & Capituli ſui ſponte, ac gratis per annum, vel biennium ſi decreuerint deſeruire nequaq̃ impediantur. Datum Peruſiæ Quinto kal. Maij Pontificatus noſtri anno primo.

IOANNES XXII.

Ioan. xxii. IOannes Fpiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & alijs eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum dilecti filij Magiſter, & Fratres Hoſpitalis, & Militiæ Sancti Lazari Hieroſolymitani

mitani nullum habeant Epiſcopum, vel Prælatum præter Romanum Pontificem ſupra ſe, & ſpecialiter prerogatiua gaudeant libertatis: non decet vos in eos, vel Clericos, aut Donatos, & eorum Eccleſias in quibus Eccleſiaſticam poteſtatem non habetis, abſq; mādato noſtro excommunicationis, vel interdicti ſentētiam promulgare: Sed ſi quando ſubditos noſtros huiuſmodi Magiſter, vel Fratres grauauerint vos iniuſte, per vos, aut per nuntios veſtros ad Romanum Pontificem ſignificari deberet de nominatis Magiſtro, & Fratribus Iuſtitiam obtinere; Hinc eſt q̄ vniuerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in prędictos Magiſtrum, & Fratres, ac Milites, Clericoſq;, Donatos, vel Nuntios, aut Eccleſias eorum in quibus auctoritatem nequaq̄ habetis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgare nullatenus præſumatis: nec eos indebita vexatione grauetis; ſed erga ipſos vos totaliter geratis, q̄ non debeant aduerſus vos materiam querelandi ſuſcitare. Quod ſi mandatum noſtrum neglexeritis in hac parte, non poterimus pertranſire quin eiſdem Fratribus in ſua iuſtitia, ſi apud nos querelam iterum depoſuerint, efficaciter prouidere curemus. Datum Auinioni Quinto kal. Maij Pontificatus noſtri anno tertio.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Ad perpetuam rei memoriam.

EX Apoſtolicæ Sedis benignitate conſueta prouenire dignoſcitur, vt Romañ Pontifex prędeceſſorum ſuorum geſta quandoq; innouet, & innouata reſtauret, ac Apoſtolico munimine roboret innouata. Sane dudum fę. rec. Clemens Papa Sextus prædeceſſor noſter Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Sācti Lazari Hieroſolymitañ in Anglia ſuas Literas conceſſit, Indulgentias, & remiſſiones, ac priuilegia, & indulta alia cōtinentes, quas poſtmodum propter eorum vetuſtatem quondam Ioannes xxij. in ſua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nuncupatus per ſuas literas cum Literarum Clemētis prędeceſſoris huiuſmodi de verbo ad verbum inſertione innouauit: prout in eiſdē Literis, quas præſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus, plenius continetur Quare pro parte Magiſtri, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum; vt Literas Clementis prædeceſſoris huiuſmodi innouare, & approbare, ac alias in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaq; hmōi ſupplicationibus inclinati Literas prędictas eiuſdē Clemētis pdeceſſoris innuamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio cōmunimus: Decernentes illas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis plenum firmitatis robur obtinere; ac ab omnibus inuiolabiliter obſeruari debere. Non obſtañ conſtitutionibus, & ordinationibus Sixtus IIII.

bus Apoſtolicis,ac omnibus illis quæ dictus Clemens prædeceſſor
in eiſdem ſuis Literis voluit nõ obſtare:ceteriſq; conrrarijs quibuſ
cunq;. Tenor vero Literarum præfatarum ſequitur, & eſt talis.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,
Dilectis filijs Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Sancti La
zari Hieroſolymitañ in Anglia Salutem &c.

Ioan. XXII. MEritis veſtræ deuotionis inducimur, vt precibus veſtris
illis præſertim, quæ Hoſpitalis veſtri vrilitatem concer
nunt, quantum cum Deo poſſumus fauorabiliter an-
nuamus. Veſtris igitur ſupplicationibus inclinati quaſ
dam Literas fœ.rec. Clemeñ Papę vi. prædeceſſoris noſtri vobis cõ
ceſſas; quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, quarumq; te-
norem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, præſertim
cum incipiant vetuſtate conſumi, Apoſtolica auctoritate tenore p̃-
ſentium innouamus,& pręſentis ſumpti patrocinio communimus.
Tenor vero dictarum Literarum talis eſt. CLEMENS, &c. Vene-
rabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Dilectis filijs Ab-
batibus, Archidiaconis, & vniuerſis Eccleſiarum Prælatis ad quos
Literæ iſtæ peruenerinr Salutem &c. Quam amabile Deo, & q̃ ve-
nerandus hominibus locus exiſtat, quam etiam iucundum, & vti-
le receptaculum peregrinis, & pauperibus præbeat Hoſpitale, ſiue
Domus Militiæ Sancti Lazari de Hieruſalem ijs qui per diuerſa ma-
ris, & terræ pericula pię deuotionis intuitu Sanctam Ciuiratem Hie
ruſalem, & Sepulchrum Domini viſitañ aſſidue recognoſcuntur.
Ibi enim indigentes, & pauperes reficiunt: infirmis multimoda hu
manitatis obſequia exhibentur; & diuerſis laboribus, atq; pericu-
lis fatigati reaſſumptis viribus recreantur;atq; vt igitur ad ſacroſan
cta loca Domini noſtri Ieſu Chriſti corporaliter pręſentia ſecurius
valeant proficiſci, ſeruientes, quos Fratres eiuſdem Domus ad offi-
cium ſpecialiter deputatos exiget, deuote, ac diligenter efficiunt.
Quia ergo eiſdem Fratribus ad tantorum ſumptuum diuerſitatem
facultates propriæ non ſufficiunt; charitatem veſtram per Apoſto-
lica ſcripta hortamur in Domino: Quatenus de veſtra abundantia
eorum inopiam ſuppleatis: & populum vobis commiſſum ipſorũ
Fraternitarem aſſumere, & ad peregrinorum ſuſtentationem colle
ctas facere in peccatorum ſuorum remiſſionem frequẽtibus exhor
tationibus moneatis: & ſubditos veſtros moneri faciatis. Er quia
fidelium ſubſidia ad huiuſmodi opera ſunt multipliciter opportu
na: Nos conſiderata in ijs eorum ſalute, quorum animas illi cuius lo
cum quamuis immeriti tenemus in terris, loca fecere multiplicirer
delectamur, quamplurium gratiarum, & indulgentiarum beneficia
copioſa fidelibus ipſis duximns concedenda. Vt autem valeant
huiuſmodi

huiuſmodi ſubſidia eiſdem Fratribus celerius peruenire; volumus
quod vos, & ſinguli veſtrum, fideles quoslibet veſtrarum Ciuitatũ,
& Diœceſium, ac Iurisdictionum cum vos confeſſiones eorum audi
re contigerit, eiſdemq; proponere verbum Dei, moneatis attentius
& efficaciter inducatis. Et nihilominus omnes Eccleſiaſticas, ſecu-
lares, & regulares perſonas exemptas, & non exemptas veſtrarum
Ciuitatum, & Diœceſium, ac Iuriſdictionum confeſſiones audiendi
& proponendi verbum Dei verbi poteſtatem habentes iuxta datã
à Deo vobis prudentiam ſtudeatis efficaciter exhortari, ꝙ fideles
ipſos confitentes eiſdem, & ſermones, ac prædicationes audientes
ipſorum ſolerter moneantur, & diligenter exhortentur, ꝙ ipſi dum
vixerint, & demum tempore obitus eotundem pias eleemoſynas,
& grata charitatis ſubſidia dictis Fratribus, vel eorum nuncijs in ip
ſius Hoſpitalis ſubſidium ſtudeãt erogare. Nos enim, vt negotium
huiuſmodi eo libentius, eoq; frequentius proſequi ſtudeatis; quo
vos, & exhortatores ipſi, ac benefactores huiuſmodi ex veſtris labo
ribus, & beneficijs potioris ſalutis fructum noueritis recepturi: de
omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſto
lorum eius auctoritate confiſi, & illa quam nobis, licet indignis,
ligandi, ac ſoluendi contulit poteſtate, ſingulis veſtrum, & exhor-
tantium prędictorum, ac etiam prædicti Hoſpitalis benefactorum
vere pœnitentibus, & confeſſis, diebus ſingulis quibus exhortatio
nibus huiuſmodi exercebitis piũ opus, ſeu quoties benefactores p̄
dicti memoratis Fratribus, vel Nuncijs congruum ſubſidium exhi
bebunt, vnum annum de iniunctis vobis, & ipſis pœnitentijs miſe
ricorditer relaxamus: voſq;, & exhortatores ipſos, ac benefactores
prædictos omnium operum charitatis, & aliorum ſpiritualium bo
norum, & beneficiorum quæ fiunt in Hoſpitali prædicto, & omni-
bus locis fidelium, vel quæ facienda ſunt in illis, aut etiam in alijs
quibuſcunq; dicti Hoſpitalis membris vbilibet conſtitutis vſq; ad
cõſummationem ſeculi participes eſſe volumus, & cõſortes. Vobis
etiam, & veſtrum ſingulis, ac omnibus alijs curam animarum habẽ
tibus commutandi cuiuſuis abſtinentiæ, & quaruncunq; peregri-
nationum (votis Hieroſolymitañ, & beatorum Petri, & Pauli Apo
ſtolorum dumtaxat exceptis) in pecuniarium ſubſidium præfatis
Fratribus, vel Nuntijs exhibendum, cum ſuper hoc ab eis, vel eorũ
aliquo fueritis requiſiti, dummodo conditione inſpecta uouenti-
um, ac Fratrum prædictorum neceſſitate penſata; ſuper quibus ve
ſtram conſcientiam oneramus, pretio, vel precibus, amicitia, fauo-
re, vel odio cuiuſcũq; nihil circa hæc; Super quibus ſciat vnuſquiſq;
veſtrum redditurum in examen diſtricti Iudicij rationem agatur di
minutionem ſubſidij ſupradicti, plenam, & liberam auctoritate p̄-
ſentium concedimus facultatem. Volumus autem vt huiuſmodi
pecuniarum ſubſidium præſtandum videlicet per vouentes pere-

grinationes eaſdem, pecuniæ ſummam extendatur, quantam vouẽtes ipſi pro complendo voto peregrinationis huiuſmodi perſonaliter expendiſſent, votum autem huiuſmodi abſtinentiæ iuxta illius arbitrium intendimus redimi, qui votũ huiuſmodi cõmutabit; Perſonis autem Eccleſiaſticis volẽtes plenius ꝓuideri, Diœceſanis earum diſpenſañ cum eis, qui cum a canone, vel ab homine latam excommunicationis ſententiam incurriſſent, irregularitatis notã immiſcendo ſe diuinis officijs, contraxerint, vel ob id contrahere ipſos contigerit: dummodo tantum erogent Fratribus, vel Nuntijs ſupradictis, quantum expenderent eundo ad Curiam Romanam, & morando in ipſa pro diſpenſatione huiuſmodi obtinenda, & redeundo etiã ab eadem; niſi forſan in Epiſcopos, Abbates, vel alios ſuperiores proprias inieciſſent manus temere violentas, poſtq̃ ab excommunicationis ſententijs quas incurrerẽt, vel incurrere ipſos contigerit, iuxta formam Eccleſiæ fuerint abſoluti, præſentium auctoritate concedimus poteſtatem; Hoc ſcientes, quoniam eandẽ Hoſpitalis domum, cum omnibus alijs domibus, & mẽbris in quibuſcunq; partibus exiſtentibus, & ad eam pertinentibus, ſub beati Petri tutela ſuſcipimus: & ſcripti noſtri pagina communimus. Decernimus inſuper, vt Receptores Fraternitatum, ſiue collectarũ ipſarum (ſoluo iure Dominorum ſuorum) in Beati Petri, ac noſtra protectione conſiſtant; & pace in terris in quibus fuerint potiantꝰ. Et ob reuerẽtiã quoq; ipſius venerabilis Domus Apoſtolica auctoritate conſtituimus; vt ij, qui eorum fraternitatem aſſumpſerint, ſi forte Eccleſiæ, ad quas pertinent, a diuinis officijs fuerint interdictæ, eoſq; mori contigerit, eiſdem ſepultura Eccleſiaſtica non negetur, niſi nominatim excommunicationis vinculo fuerint innodati. Addijcientes inſuper, vt ſi qui eorundem Fratrum, vel Nuntiorum, qui ad recipiendũ eaſdem Fraternitates, vel collectas miſſi fuerint in quamlibet Ciuitatem, Caſtellum, vel vicum aduenerint, ſi forte locus ipſe a diuinis officijs fuerit interdictus, in eorum iucundo aduentu ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, & excõmunicatis eiectis diuina ibi officia celebrentur; & ſuper eleemoſynis acquirendis p eoſdem Fratres, vel Nuntios, (dummodo idonei, & bonę opinionis exiſtant) Priuilegia, & indulgentiæ in pace proponãtur, nullis aliis confratrijs, ſeu collectis, uel pœnitentiis quibuſcunq; iniunctis interpoſitis ea die. Clericus autem, ſeu Capellanus, qui ſupradictos Fratres, uel Nuntios de Eccleſiis expulſerit, ſeu quoduis impedimẽtum eis præſtiterit, ipſum auctoritate Apoſtolica a minorum celebratione ſuſpendimus; & iubemus per tres menſes pro tanto exceſſu manere ſuſpenſum. Præterea quicunq; memoratis Fratribus, uel Nuntiis manum porrexerint pietatis, & tam ſanctam ipſorum ſumpſerint confraternitatem, eiſq; beneficia perſoluerint, annuatim omnibus, & ſingulis curam animarum ſuarum habentibus, eoſdẽ

de

de peccatis ſuis uere contritos, & confeſſos abſoluendi ſingulis an
nis diebus veneris maioris hebdomadæ cōmittimus poteſtatem:
niſi forte talia commiſerint, propter quæ Sedes Apoſtolica merito
fuerit conſulenda: Et in Articulo mortis ſemel tãtum plenam ſuo
rum obtineant veniam peccatorum. Omnibus inſuper, & ſingulis
tam clericis,q̄ laicis cuiuſcunq; dignitatis, præeminentiæ,ordinis,
conditionis, aut ſtatus exiſtant, ſub interminatione maledictionis
æternæ diſtrictius inhibemus; ne quempiam volentem quoduis
ſubſidium dictis Fratribus,vel Nuntijs exhibere, ab huiuſmodi vo
luntate detrahere, vel in quoduis aliud, etiam pium opus, commu
tare, quominus largiatur ſubſidium huiuſmodi, verbo, vel opere
impedire præſumant. Si quis autem contra noſtram inhibitionē
huiuſmodi attentare præſumpſerit; eandem,& Apoſtolorum ipſo
rum, & noſtram, a qua nullum abſolui volumus præterquam in
mortis articulo,quouſq; duplum exhibuerit eiſdem ſubſidij,quod
per impedimenti pręſtationem huiuſmodi Fratribus prędictis ſub
ſtractum extiterit; ſe nouerit incurſurum. Ideoq; vos Prælatos om
nes, & ſingulos monemus, & hortamur in Filio Dei Patris,ac vobis
nihilominus in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo manda-
mus; quatenus tenorem, & formam Indulgentiarum huiuſmodi
Chriſtifidelibus diebus Dominicis, & feſtiuis, & alijs de quibus ex
pediens fuerit, in Eccleſijs, & locis veſtrarum Ciuitatum, & Diœce
ſium, ac Iuriſdictionum in Miſſarum ſolennijs, & alijs horis cōgru
entibus per Rectores earundem Eccleſiarum, ac alias perſonas ec-
cleſiaſticas faciatis ſollicite in vulgari cuilibet patriæ prædicari: &
ſupradictos Fratres, vel Nuntios ſemel annuatim,cum ad eccleſias
venerint ſupradictas, permittatis publicare. Sic igitur huiuſmodi
pium, & gratum altiſſimo ſollicite,& laudabiliter,iuxta datã a Deo
vobis prudentiam exequi ſtudeatis: Sicq; ad ſubueniēdum Fratrũ
prędictorum neceſſitatibus efficaciter fideles ipſos inducere,quod
de veſtris laboribus diuina fauente clementia fructus ſperatur pro
ueniant: & veſtræ ſollicitudinis ſtudium palmam gloriæ,quę cau
ſam Dei gerentibus pro digna abſolutione rependitur, mercatur.
Datum Auinioni, decimo Cal. Iulij Pōtificatus noſtri anno ſexto.
Per hanc autem innouationem noſtram volumus, quo ad iſta, ius
vobis acquiri nouum; & antiquum, quod habetis, illæſum conſer-
uari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę in
nouationis, conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autē
&c. Datum Bononiæ, quinto kal. Maij, Pontificatus noſtri anno
quarto. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nr̃æ
approbationis, innouationis, commutationis, & decreti infringe-
re, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę
ſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, &
Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud

Sáctum Petrum annō Incarnationis Dominicæ milleſimo quadrin genteſimo octuageſimo quinto cal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno nono.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI
Ad futuram rei memoriam.

Nicolaus. V. Anno Domini. 1455.

AD exequeñ Poſtoralis officij debitum ſtudijs intendentes exactis, circa Hoſpitalium, & piorum locorum, ac perſonarum in illis obſequentium, & Domino famulantium quorumlibet ſtatum ſalubriter dirigendum attente conſiderationis aciem dirigimus, ac pro eorum profectibus, ſicuti congruere conſpicimus, opem, & operam impendimus efficaces: vt quibuſuis ab eis ſubductis perturbationibus, & inductis in quietis ſuauitate iugiter perſiſtant. Sane dudum fę. re. Vrbanus Papa IIII. prædeceſſor noſter Domum, & Hoſpitale Sancti Lazari Leproſorum Hieroſolymitañ. necnon eius membra omnia tranſmarinis, & quibuſcunq; alijs partibus exiſtentia ab omni iuriſdictione, dominio, poteſtate, viſitatione, & correctione Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac aliorum, & omnium, & præſertim Epiſcopi Ottoneñ, ſub quorum prouincijs, ac diœceſibus partium earundem huiuſmodi membra exiſtebant, auctoritate Apoſtolica exemit: ſtatuens, vt domus, & eius membra præfata in ſpiritualibus, & tēporalibus ſoli Eccleſiæ Hieroſolymitañ eſſent ſubiecta: ita q; nullus niſi ſolus Patriarcha Hieroſolymitañ Domum, ſiue Hoſpitale, & mēbra ſupradicta (vtpote ab eorūdem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum prædictorum iuriſdictione prorſus exēpta) et Magiſtrū aut Fratres Hoſpitalis Sancti Lazari Hieroſolymitañ, uel perſonas in eis dominijs pro tempore ſeruientes, & alias quaſcunq; utriuſq; ſexus perſonas infra fines, & limites Hoſpitalium, & aliorum locorum eorundem Magiſtri, ac Fratrum commorantes interdicere, ſuſpendere, uel excommunicare ualeret: Decernens Prædeceſſor præfatus irritum, & inane quicquid in contrariū a quoq̄ fieri, uel attentari contigeret. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guilelmi Sucteñ Magiſtri, & Fratrū Domus de Burtoñ Hoſpitalis huiuſmodi Lincolineñ diœceſis petitio continebat, Domus, ſiue Hoſpitale Octoneñ huiuſmodi per orthodoxæ fidei, & Chriſtiani nominis inimicos, & perſecutores deſtructa, ſeu deſtructum fuerit penitus, & deſolatū, quodq; licet Magiſter, & Fratres Domus de Burtoñ præfatis exemptione, & ſtatuto huiuſmodi, ac omnibus, & ſingulis libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus eiſdem Magiſtro, & Fratribus S. Lazari Hieroſolymitañ per Sedem Apoſtolicam, vel alias conceſſas hactenus vſi, & gauiſi fuerint, ac vtantur, & gaudeant, tamē in ſuis

priuilegijs,

priuilegijs, & poſſeſſionibus propter deſtructionem, & deſolatio-nem Domus, ſiue Hoſpitalis Octonū diuerſa diſpendia, damna, & incommoda ſuſtinuerunt, & grauiora ſuſtinere formidant tempo-re procedente; pro parte eorundem Magiſtri, & Fratrum Domus de Burtoñ nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ſuper ijs eis, ac etiã alias eorum indemnitatibus, & diſpendijs opportune prouidere, necnon Domum de Burton eiuſdem Magiſtrum, & Fratres præfa-tos, & eiuſdem domus, membra, exemptiones honore inſignire, ac nobis, & Sedi Apoſtolicæ ſubijcere de benignitate Apoſtolica di-gnaremur: Nos itaq; hmôi ſupplicationibus inclinati Domum de Burton, & eius Magiſtrũ, ac Fratres p̃ſatos, ipſiuſq; p̃sbyteros, cleri-cos, ſeculares, & pauperes, miniſtros, nuntios, & procuratores, ac alias vtriuſq; ſexus perſonas præſentes, atq; futuras, necnon bona, res, poſſeſſiones, & loca quæcunq; ad ipſam Domũ de Burton quo-modolibet ſpectantia, quæ Magiſter, & Fratres de Burton huiuſ-modi in præſentiarum poſſident, & in futurum iuſtis modis p̃ſtã-te Domino adipiſci poterunt, cum omnibus iuribus, & pertinẽtijs ſuis ab omni iuriſdictione, dominio, poteſtate, viſitatione, corre-ctione, iure, obedientia, & ſubiectione quibuſcunq;, quoruncũq; Patriarcharum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Iudicum, Ordi-nariorum, ac aliorum quomodolibet, & præcipue Patriarchæ Hie-roſolymitañ præfati auctoritate prædicta ex certa ſcientia eximi-mus, & totaliter liberamus, ac ſub beati Petri, & noſtra, dictæq; Se-dis protectione ſuſcipimus; ac ei dumtaxat ſubiecta eſſe, & cenſe-ri volumus: Ita quod Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Iudices Ordinarij, ſeu alij quicunq;, & præſertim dictus Patriarcha Hiero-ſolymitañ etiam ratione delicti, vel contractus, ſeu rei de qua age-retur, vbicunq; committatur delictum, ineatur contractus, vel res ipſa conſiſtat in Domum de Burton, eiuſq; Magiſtrum, Fratres, pre-sbyteros, clericos, ſeculares, pauperes, miniſtros, nuntios, procu-ratores, & alias perſonas quaſcunq; infra limites, & fines, & perti-nentia eiuſdemD omus de Burton, aut al icuius illius parcelle com-morantes, ſeu in eorum aliquem excommunicationum, ſuſpenſio-num, & interdicti, aliasue eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœ-nas promulgare, aut iuriſdictionem, vel poteſtatem aliquam excer-cere non præſumant, nec eorum aliquis præſumat. Omnes præte-rea, & ſingulos proceſſus, necnon excommunicationum, ſuſpen-ſionum, & interdicti ſententias, cenſuras eccleſiaſticas, & pœnas quos, ſeu quas haberi, ſeu promulgari, necnon totũ id, & quicquid contra huiuſmodi exemptionis formã quauis auctoritate fieri con-tigerit, nullius decreuimus conſiſtere roboris, & firmitatis. Et inſup electionem de præfato Guilhelmo nuper per dictæ Domus de Bur-ton Fratres illius Magiſtro factam ratificantes, & approbantes, eadem auctoritate ſtatuimus, decernimus, & ordinamus q̃ ex nũc

in antea perpetuis futuris temporibus quotiens præfatam Domū
de Burton quouiſmodo, & qualitercunq; vacare contigerit, ipſius
Fratres prædicti vnum ex eis in eiuſdem Domus de Burton Magi-
ſtrum rite, & canonice eligere poſſint; quodq; taliter electus abſq;
alicuius deſuper confirmationis miniſterio verus, & indubitatus p̄
dictæ Domus de Burton Magiſter ſit; ac ab omnibus pro tali repu
tari debeat, pariter & cenſeri: illiuſq; Domus de Burton curam, &
regimen, & adminiſtrationem plenarie in ſpiritualibus, & tempo-
ralibus gerere, & exercere valeat libere, pacifice, & quiete: Non ob
ſtañ conſtitutioñ. & ordinatioñ Apoſtolicis, & præſertim fe. re. In
nocentij Papæ iiij. etiam prædeceſſoris noſtri, quę incipit, Volen-
tes, necnon ſtatutis, ſtabilimentis, & conſuetudinibus Domus San
cti Lazari Hieroſolymitañ huiuſmodi etiam iuramento, confirma
tione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, cæteriſq; con
trarijs quibuſcunq;. Nulli &c. noſtræ exemptionis, liberationis,
ſuſceptionis, conſtitutionis, ordinationis, ratificationis, approba
tionis, & voluntatis infringere &c. Siquis &c. Datum Romæ apud
Sanctum Petrum, anno &c. 1455. Id. Iunij Pontificatus noſtri
anno quarto.

INDVLGENTIA PERPETVA PRO BENEFACTO-ribus Hoſpitalis Sancti Lazari de Vrbe.

Leo. X. LEO &c. Vniuerſis Christi fidelibus præſentes Literas
inſpecturis Salutem &c. Paſtoris æterni qui nō vult
mortem, ſed conuerſionem peccatorū vices, licet im-
meriti, gerentes in terris, gregem Dominicum noſtræ
curę commiſſum ad vitam lucis æternæ, quantum cum Deo poſſu
mus, perducere ſtudemus, & iuxta creditum nobis Apoſtolicę ſer
uitutis officium fideles ſingulos, quorum merita pro demeritis pœ
nitus ſunt imparia, ad pia charitatis opera exercenda ſpiritualibus
muneribus, Indulgentijs videlicet, & peccatorū remiſſionibus inui
tantes; vt per temporalia quæ pauperibus, aliiſq; miſerabilibus p-
ſonis pręſtiterint. auxilia, ſuorum abolita macula delictorum ad æ-
ternæ beatitudinis gaudia peruenire mereantur. Cum itaq;, ſicut
accepimus, fructus, redditus, & prouentus Domus Sancti Lazari de
Vrbe ad ſuſtētationem, ac ſupportationem onerum eidem Domui
Incumbentium minime ſufficiant, propterea Chriſti fidelium ſuf-
fragia ad præmiſſa fore noſcuntur plurimum opportuna: Nos igi
tur cupientes eiuſdem Domus, & pauperum Leproſorum in ea de-
gentium huiuſmodi neceſſitatibus conſulere. ac pauperes ipſos, p-
ut meritorium exiſtit, ſpiritualibus muneribus communire; & vt
Chriſti fideles eo deuotionis libentius cauſa ad ſubuentionem pau
perum eorundem promptiores reddantur, quo ex hoc ibidem do-

no cæleſtis gratiæ vberius conſpexerint ſe refectos; de omnipoten
tis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius
auctoritare confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſq; ſexus Chriſtifide-
libus in alma Vrbe, & extra illam per quinquaginta milliaria, & nõ
vltra exiſtentibus, qui de bonis eis a Deo collatis eiſdẽ pauperibus,
vel perſonæ, ſeu perſonis per dictos pauperes ad id deputandis pi
as eleemoſynas erogauerint; quoties id fecerint vnum annum, &
vnam quadragenam de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer in
domino relaxamus. Er nihilominus vniuerſis, & ſingulis Patriar-
chis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac Eccleſiarum Prælatis ſub ſuſpen
ſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, Abbatibus vero, ac Prioribus, & verbi
Dei Prædicatoribus, necnõ Parochialium Eccleſiarum Rectoribus,
Plebanis, Sacriſtis, & alijs Eccleſiaſticis, & ſecularibus perſonis in ea
dem vrbe. & extra perdicta quinquaginta miliaria conſtitutis, ad
quos præſeutes Literę peruenerint ſub excõmunicationis latę ſen
tentiæ pœnis mandamus, quatenus vbi, & quotiens expedierit, ac
pro parte eorundem pauperum Leproſorum deſuper fuerint requi
ſiti, eaſdem præſenres Literas in Eccleſijs, & alijs locis publicent, &
publicari faciant; eoſdem pauperes, ſeu perſonas per eos deputan
das in eorum ſermonibus commendent; ac per eccleſias, & loca hu
iuſmodi eleemoſynas ipſas colligendas permittanr; & alias ad præ
miſſa, quantum in eis fuerit, auxilium præbeant. Et inſuper om-
nibus, & ſingulis etiam morbo Lepræ laborantibus ne in præfata
Vrbe, vel extra eam nomine eorundem pauperum Leproſorum Sã
cti Lazari eleemoſynas colligere præſumant, niſi per eoſdem pau-
peres ad hoc deputati fuerint, ſeu alias de eorum expreſſa licentia,
ſub excommunicationis latæ ſententriæ pœna inhibemus; ac quic
quid ex eleemoſynis, ſeu collectis huiuſmodi contra tenorem præ
ſentium acquiſitum fuerit, eiſdem pauperibus Sancti Lazari conſi
gnari debere, ſub eadem excommunicationis pœna mandamus, et
declaramus; præſenteſq; ſub quibuſuis ſimilibus, vel diſſimilibus
indulgentiarum etiam Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Vr
be, ac Cruciaræ contra Infideles ſuſpenſionibus, aut reuocationi-
bus nullatenus comprehenſas eſſe decernimus, perpetuis futuris
temporibus valituris. Datum Romę apud Sanctum Petrum anno
Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo ſepti-
mo, Duodecimo kal. Martij Pontificatus noſtri anno quinro.

CONFIRMATIO PRIVILEGIORVM ORDINIS SAN-
cti Lazari Hieroſolymitani ſub Pio. IIII. P. O. M.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei Pius. iiij.
memoriam. Paſtoris ęterni vices in terris, quamq̃ imme
riti, gerentes, curis vigilamus aſſiduis, ſtudijſq; nitimur
indefeſſis,

indefeſſis, vt ſacræ Religiones in agro Dominico ad pietatis, et mi-
ſericordiæ opera erga egentes, & pauperes, ac languidos exercen-
dum ſalubriter plantatæ in ſua integritate permaneant, & quæ eis
ad eorum felicem, & proſperum ſtatum conſeruandum, & ampliã
dum, ac alias a Romañ Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ema-
naſſe dicuntur, vt firmiter perdurent, libenter cum a nobis petitur
noſtro munimine confouemus. Sane ſicut pro parte dilectorum fi-
liorum Magiſtri generalis, & Fratrum Hoſpitalis Sancti Lazari Hie
roſolymitañ ordinis Sãcti Auguſtini nobis nuper exhibita petitio
continebat, dudum fe. re. Alexandro Papę Quarto p̃deceſſori no-
ſtro pro parte tunc Magiſtri, & Fratrum dicti Hoſpitalis expoſitũ
fuit, ꝙ antea quoñ Federicus Romañ Imperator, ante latam in eum
depoſitionis ſententiam, circa miſerabilem cõditionem eorum pie
dirigens compaſſionis affectum, diuerſas terras, poſſeſſiones, ac prę
dia ruſtica ſtartias nuncupata, tunc de ſuo Dominio exiſtentia in
Sicilia, Calabria, Vallegiatis, Apulia, & Terralaboris cum diuerſis
ſecularium exactionum exemptionibus, eis pia, & prouida libera-
litate donauerat; præfatus prædeceſſor eorum ſupplicationibus
inclinatus donationem huiuſmodi ratam, & firmam habens eam
auctoritate Apoſtolica confirmauit. Et deinde Clemens etiã Quar-
tus vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Præla-
tis ſub certa pœna tunc expreſſa mandauit, ꝙ Fratres, ſeu Procura-
tores Domorum dicti Hoſpitalis ad illos, & eorum loca venientes
cauſa ſuſcipiendi Leproſos, & eleemoſynas exigendi, ab eis beni-
gne reciperentur, & honeſte tractarentur: ac Leproſos ibidem in
uentos ab illis capi, & inde eijci, ac ad habitandum cum alijs infir-
mis domorum dicti Hoſpitalis cũ omnibus bonis ſuis mobilibus,
& immobilibus traduci, eleemoſynasq; huiuſmodi quærere pmit-
terent: nec a Fratribus, alijſq; perſonis huiuſmodi Hoſpitalis quic-
quam pro ſepultura, aut fructibus terræ quam propria induſtria,
aut expenſa colerent, ſeu de animalibus ſuis, vel eorum nutrimen-
tis decimas exigere præſumerent. Quodq; ipſi Archiepiſcopi, &
Epiſcopi Oratoria ꝓ vſu Fratrum, & perſonarum prędictorum, ac
ſuæ familiæ dedicare, ac Cimiterium benedicere deberent. Ac ſub
ſequenter Gregorius. X. eiſdem Magiſtro, & Fratribus eorundem
Clericis, & Donatis ſimiliter, ꝙ de omnibus fructibus terræ quos ꝓ
pria induſtria, aut expenſis coli facerent, ac etiam de animalibus, il
lorumq; nutrimentis, & quibuſcunq; alijs bonis ſuis, etiam ſi illa,
aut eorum prouentus tam pro ſuſtentatione ſua, aut pauperum Le
proſorum, q̃ etiã reparatione alicuius Domus, vel loci alicuius Ho
ſpitalis ab eis vendi contingeret, nullas decimas, aut alia onera p̃-
ſtare tenerentur; & per quæcunq; loca ſine Pedagij, Datij, Gabellæ,
Collectarum, & quaruncunq; aliarum exactionum ſolutione tran-
ſire, & in eis ſtare valerent. Ac demum Ioannes XXII. attendens ꝙ
nullus

nullus Epiſcopus, vel alius Prælatus Romano Pontifice inferior, Magiſtro, & Fratribus prędictis præerat; & propterea volens illos ſpeciali prærogatiua, & libertate gaudere, etiam vniuerſis Epiſcopis, & alijs Prælatis inhibuit, ne in huiuſmodi Hoſpitalis Magiſtrũ, Fratres, Procuratores, perſonas, Religioſos, Donatos, vel Nuntios, aut Eccleſias eorum excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgare auderent. Et poſtmodum Paulus II. Magiſtros, & Fratres Domus Leproſorũ eiuſdem Sancti Lazari extra muros Capuañ eorumq; perſonas, & locum in quo diuino erant obſequio mancipati, cum omnibus bonis quæ tunc rationabiliter poſſidebant, aut ex tunc in futurum iuſtis modis poſſent adipiſci, ſub beati Petri, & ſua protectione ſuſcepit, omnesq; libertates, & immunitates a prædeceſſoribus ſuis ſiue per alia Priuilegia, ſiue Indulta eis, & dictæ Domui conceſſa, nec non libertates, & exemptiones ſecularriũ exactionum a Regibus, & Principibus, alijſq; Chriſti fidelibus rationabiliter eis, & eidem Domui indultas, ſpecialiter autem domos, prata, paſcua, hortos, vineas, & alia bona mobilia, & immobilia eorũ, ſicut ea iuſte, & pacifice poſſidebant; eis, & per eos eidem Domui dicta auctoritate confirmauit: diſtrictius inhibens, ne quis de hortis, virgultis, ſeu eorum animalium nutrimentis decimas ab eis exigere præſumeret. Ac Adrianus V. Nicolaus ij. Honorius etiam iiij. Nicolaus ſimiliter iiij. Bonifacius viij. Clemens etiam v. Innocẽtius vi. Vrbanus etiam v. Eugenius etiam iiij. Sixtus etiam iiij. Innocentius etiam viij. Alexãder etiam vi. Leo etiam x. Clemens vij. Paulus iij. Iulius etiam iij. & diuerſi alij prædeceſſores noſtri eiſdẽ Magiſtro, & Fratribus, Donatis, & Ordini, illorumq; Nuncijs, Officialibus, & alijs perſonis, necnon Hoſpitalibus, Eccleſijs, Præceptorijs, & membris, illaſq; & illa viſitantibus, ac illis benefacientibus varia Priuilegia, Indulta, Libertates, Immunitates, & alias gratias conceſſerant; prout in diuerſis eorundem Literis deſuper confectis plenius continetur. Cum autẽ, ſicut eadem petitio ſubiungebat, Magiſtri, et Conuentus præfati cupiant præmiſſa quo firmiora perdurent, patrocinio noſtro communiri; quare pro parte illorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt petitioni huiuſmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui ad conſeruationem Hoſpitalium, & Regularium locorum quorumlibet, præſertim in quibus præcipua Charitatis officia ſpectantur, noſtri officij partes in primis conuertimus; Magiſtrum, & Fratres præfatos, ipſorumq; ſingulos a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis a iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dũtaxat conſequẽdum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; Necnõ ſingularum Literarum prędictarũ tenores pręſentibus pro expreſ-

fis

ſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati prędicta, & om nia, & ſingula alia priuilegia, iuriſdictiones, facultates, immunitates, conceſſiones, libertates, prærogatiuas, exemptiones, gratias, fa uores, & indulta, etiam in deferendis armis Magiſtro, Præceptoribus, Fratribus, & perſonis Hoſpitalis huiuſmodi, eorumq; vaſallis ſubditis, & ſeruitoribus pro tempore exiſtentibus, ac Eccleſias, & loca illorum viſitantibus, & benefacientibus per præfatos, & quoſ cunq; alios Romanos Pontifices etiam ſuperiores noſtros, & Sedē Apoſtolicam ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſ uis clauſulis, & decretis quomodolibet conceſſa. Necnon ſingulas præfatas, & alias Literas, & inſuper ſtatuta, conſuetudines, vſus, na turas, & ſtabilimenta Religionis, & Ordinis prædictorum (licita tamen, & honeſta) dicta auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus: Decernen̄ irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcunq; ſcienter, vel ignoranter contigerit attenta ri. Non obſtan̄ conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Nulli ergo omnino hominum li ceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incur ſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Do minicę Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, ſeptimo kal. Iulij Pō tificatus noſtri anno primo.

PIVS PAPA IIII.

Dilecto filio Mutio de Azzia Magiſtro generali Hoſpitalis Sancti Lazari Hieroſolymitani ordinis Sancti Auguſtini.

Pius. IIII. DILECTE FILI SALVTEM, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſti, q; licet Hoſpitale Sancti Lazari Hieroſolymitan̄ ordinis Sancti Au guſtini cui præes, eiuſq; Milites, & perſonæ nobis, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubiectæ, tuq; & pro tempore exiſtens Magiſter generalis dicti Hoſpitalis, ad quem etiam ex antiqua con ſuetudine ordinaria inter Milites, & perſonas præfatas iuriſdictio ſpectat, & pertinet, in poſſeſſione, ſeu quaſi iuriſdictionem huiuſ modi exercendi, & iuſtitiam eiſdem Militibus, & perſonis miniſtrandi ſitis, ac propterea ſuper exercitio iuriſdictionis huiuſmodi a nemine moleſtari deberetis, nihilominus ijdem Milites, & perſonæ, vel ad ſuorum commilitonum cenſuram ordinarij iudicis ſui ſubterfugientium, vel ad aliorum inſtantiam coram diuerſis alijs tam Eccleſiaſticis, q̄ ſecularibus iudicibus non raro moleſtantur in diſciplinæ Militaris, priuilegiorumq; Ordinis labefactionem, & Se

dis

dis prædictæ contemptum. Quare nobis humiliter ſupplicari fe
ciſti, quatenus ſubiectioni, & conſuetudini prædictis robur Apo=
ſtolicæ confirmationis adijcere, ac alias in præmiſſis opportune ꝓ
uidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fi=
delium omniū, præſertim ſub religionis vexillo Altiſſimo militan
tium, & dictæ Sedi ſubiectorum quietem ſyncero deſideramus af=
fectu, conſiderantes eoſdem Milites, & perſonas ſtante ſubiectio
ne prædicta non alibi, q̄ coram nobis, aut ipſo Magiſtro generali ꝓ
tempore exiſtente in iudicium trahi poſſe, ac quarumcunq; Apo=
ſtolicarum, & aliarum gratiarum, & ſcripturarum ſuper præmiſſis
confectarum, ac inde ſecutarum tenores præſentibus pro expreſſis
habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati ſubiectionem, iu
riſdictioné, & conſuetudinem ꝓdictas, ac (prout illas concernunt)
omnia, & ſingula in dictis (ſi quæ adhuc extant) Literis cōtenta, &
inde ſecuta quæcūq; (licita tamen & honeſta, ac ſacris canonibus
non contraria) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confir=
mamus, & approbamus. Et nihilominus eiſdem auctoritate, &
tenore ſtatuimus, & ordinamus, ac Tibi, & futuris Magiſtris genera
libus dicti Hoſpitalis perpetuo concedimus, quod Pręceptores, Mi
lites, Fratres, Vaſalli, Subditi, Capellani, Familiares, Seruitores, Cle
rici, Nuntij, Quæſtores, Donati, ac quicunq; alij dicti Hoſpitalis
pro quibuſcunq; ſuis cauſam Religionis ſuæ, vel Commendarum,
aut bonorum illarum concernentibus, connexis, uel dependeñ, vel
Hoſpitalis huiuſmodi, ſeu eius Religionis cauſis tam Eccleſia=
ſticis, q̄ profanis, ac ciuilibus, criminalibus, & mixtis ad Romañ
Curiam, aut quodcunq; tribunal eccleſiaſticum, vel ſeculare, etiā
ad cuiuſcunq; perſonæ eccleſiaſticæ, vel ſecularis, aut Eccleſię, Ho
ſpitalis, Vniuerſitatis, vel alterius loci quocūq; titulo, exemptione,
vel priuilegio ſuffulti ꝓ dictis cauſis (vt ꝓfertur) inſtātiam nulla ra
tione trahi poſſint: Acoēs, & ſingulæ cauſæ hmōi, quas deinceps in
ter Præceptores, Fratres, Milites, Vaſallos, Subditos, Capellanos, Fa=
miliares, Seruitores, aliaſq; perſonas præfatas dictæ Religionis, ſu
per Pręceptorijs, dignitatibus, adminiſtrationibus, officijs, iuribus
iuriſdictionibus, proprietatibus, bonis, fructibus, cenſibus, poſſeſ
ſionibus, ac alijs rebus ad Hoſpitale, eiuſq; Religionem, Præcepto
res, & alios præfatos tam coniunctim, q̄ diuiſim, ſeu alias pertinen
tibus, nec non criminibus, delictis, exceſſibus quibuſcunq; per ſu=
pradictos Religioſos, Vaſallos, (vt præfertur) commiſſis, moueri
contigerit, cum omnibus, & ſingulis ſuis incideñ, emergeñ, depen
deñ, annexis, & connexis per Te, & pro tempore exiſtentem Magi=
ſtrum generalem Hoſpitalis huiuſmodi, ſiue illum, vel illos ex di=
ctis Præceptoribus, & perſonis cui, vel quibus Tu, vel ille cauſas hu
iuſmodi pro tempore commiſeris, ſeu commiſerit, in quacumq; in
ſtantia, & vſq; ad vltimam ſententiam incluſiue, etiā ſummarie, ſim=

plíciter, & de plano, ac ſine ſtrepítu, & figura iudícij audíri, & íuxta
laudabiles conſuetudínes, ínſtitutaq; regularía dícti Hoſpítalis, ac
alías, prout íuris fuerit, decidi: Quodq; omnes, & ſinguli Pręcepto
res, Milites, & alij prædicti, quantumcunq; remoti, coram Te, vel Ma
giſtro, aut alio, vel alijs, ſi remoti fuerint, a Te, vel íllo deputádís hu
iuſmodí, nec alibi pro díctis cauſis Relígionem ípſam, aut illius bo
na, & íura (vt dictum eſt) concernentibus, Et quo ad delícta ín tuo
territorío, & pertínentijs commíſſa, ín íudicio comparere, & audíri
debeant; ac illi ex Præceptoribus, & alijs ſupradíctis dictæ Relígio
nís, quí alíum, vel alíos ex eíſdem ſuper qnibus ſuis querelis, rebus,
negotijs, & caſibus (præterq̄ denegatæ iuſtitiæ, vel notorij contra
huiuſmodi ſtatuta, & conſuetudínes per Te, vel pręfatum Magiſtrũ
aut alinm, vel alíos a Te, vel íllo deputandos, vt pręfertur, illati gra-
uamínis) alibi q̄ coram Vobis reſpectiue, dírecte, vel índirecte quo-
uis quæſiro colore trahere præſumpſerint, ſeu contenderint, cauſa
íure, et actione priuari poſſe, & excommunicationis ſententiam, alí
aſq; pœnas per vos reſpectiue ſtatuendas incurrere cenſeantur.
Nos enim vobís omnía, & ſingula, quæ rite iudicaueritis, & decide-
rítis, debitæ executioni demandandi, necnõ Contradictores quos
líbet, & rebelles, mandatiſq; veſtris non parentes per cẽſuras, & pę
nas Eccleſiaſticas, aliaq; iuris, & factí remedia opportuna appellatio
ne poſtpoſita compeſcendi, legítimiſq; ſuper his habeudis ſeruatis
proceſſibns cenſuras, & pœnas ípſas etiam íteratis vícibus aggrauã
di, necnon auxílium brachij ſecularis ad hoc (ſi opus fuerit) inuocã
dí, cæteraq; in præmiſſis, & círca ea neceſſaria, & opportuna facien
dí, & exequendi plenam, & liberam facultarem earundem tenore
præſentium elargimur: Decernentes quoſcnmq; proceſſus cauſas
pręd ictæ Relígionis, & vt ſupra concernentes, quos coram alijs Iu-
dícibus, etiam auctoritate Apoſtolíca delegatis, (niſi præſentibus
per nos expreſſe, & nomínatím, non generaliter derogatum fuerít)
formarí, & ſententías quas per eos ferri contígerit, necnõ quícquid
ſecus contra præmiſſa per eoſdem, ſeu alíos quoſcumq; ſciẽter, vel
ígnoranter attentari contígerit, írrita, & ínania, omniq; prorſus ca-
rere robore firmítatis. Non obſtantibus fe. rec. Bonifacij Papæ
octauí prædeceſſoris noſtrí etiam de vna, & in Concílio generalí e-
dita de duabus dícrís, alijſq; conſtitutionibus, & ordínationibus
Apoſtolícis generalibus, vel ſpecialíbus, Præceptoribus, & alijs per
ſonis præfatis ín genere, vel ín ſpecie, ac ſub quauís verborum for
ma conceſſis, confirmatis, & etiam íteratís vícibus innouarís. Quí
bus omníbus (etíam ſi pro íllorum ſufficientí derogatione de íllis,
eorumq; totis renoribus ſpecialis, ſpecífica, índinidua, & expreſſa,
ac de verbo ad verbum, nõ autem per clauſulas generales ídem im-
portanres mentio, ſeu quęuis alia expreſſio habenda, vel alíqua alía
exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret) tenores huiuſmodi, ac ſi de
verbo

verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus: Quodq; Tu, & Magiſter pro tempore exiſtens, ac alij prædicti de illis perſonis, qui cauſas huiuſmodi audire, & terminare poſſunt, non ſitis. Contrarijs quibuſcumq;, aut ſi Præceptoribus, Fratribus, Militibus, & perſonis prędictis, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab ipſa ſit Sede indultum, q; interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimo quarto Septembris, millesimo Quingenteſimo ſexageſimo primo, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Cæ. Glorierius.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

NOuerint vniuerſi, & ſinguli hoc pręſens publicum Trã
ſumpti Inſtrumentum inſpecturi tam præſentibus q̃
futuris;ſalutem in Domino. Notum facimus, & te-
ſtamur, Quod nos Angelus Barrecta Dei, & Apoſto-
licæ Sedis gratia Epiſcopus Erapitanus, Generalis Vicarius Neapo-
litanus pro tribunali ſedeñ, ſingulis conquerentibus iuſtitiam mi-
niſtrañ in Archiepiſcopali palatio Neapolitano, & compares corũ
nobis Reuerendus, & Magnificus Dominus Pyrrhus Loyſius Carra
fa, Magnus Magiſter, ſiue Præceptor generalis Præceptoriæ Sancti
Lazari Ordinis Hieroſolymitani, vtriuſq; Siciliæ, citra, & vltra pha
rum, exhibuit, & præſentauit, quoddam Inſtrumentum origina
le cuiusdam ſententiæ, ſcriptum in charta de pergameno non abra
ſum, non cancellatum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, ſed omni
prorſus vitio, & ſuſpitione carens, ac omni qua decet ſolemnitate
roboratum, & aſſeruit pro eius intereſſe dictum Inſtrumentũ Trã
ſumptari facere, & autenticare ad futuram rei memoriam, auctori-
tate, & decretis noſtris dictæ Curiæ; eodemq; Inſtrumento, vt præ
mittitur exhibito, & præſentato, ad noſtras manus recepimus, vi-
dimus, legimus, & palpauimus, ſic originaliter in noſtris manibus
præſentatum inuenimus ſanum, & integrum, non viciatum non cã
cellatum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, ſed omni prorſus vitio
& ſuſpitione carens, cuius quidem inſtrumenti ſententię tenor de
verbo ad verbũ ſequitur, & eſt talis. Nos Martinus de Angelis de
Tramoſi, decanus maioris Eccleſię Capuañ, & ad infraſcripta p Sedẽ
Apoſtolicam Iudex delegatus, et commiſſarius deputatus, pręſen-
te quoq; vna nobiſcum prouido viro Notario Antonio de Ceſis de
Capua actorum notario per nos aſſumpto, præſenti ſcripto noſtrę
declarationis ſententię declaramus, et notum facimus vniuerſis p̄-
ſentem noſtram declarationis ſententiam inſpecturis, tam pręſen-
tibus, q̃ futuris, Quod dum olim die ſeptimo menſis Martij, anni
proximi elapſi, ſeptime indictionis, per egregium, et religioſum
Militem Dominum Iacobum de Azia de Capua Priorem, et genera-
lem Magiſtrum Hoſpitalis Militię Sancti Lazari Hieroſolymitani, in
toto Regno Sicilię citra et ultra Phatum, cuius caput, & principale
fuit, & eſt Hoſpitale Sancti Lazari Hieroſolymitani in Capua, præ-
ſentatæ fuerunt coram nobis infraſcriptæ Literæ Apoſtolicæ Bulla
plumbea, cum cordula canapis more Ro: Curiæ appenſa munitę,
& roboratæ, omni viſibil[illegible]tio, & ſuſpitione carentes, quas vidi-
mus, legimus, & diligenter inſpeximus, in charta mẽbrana ſcriptas,
et erant per omnia tenoris, & continentiæ ſubſequentis. Eugeni-
us Epiſcopus ſeruus ſeruorum D[illegible]ilecto filio Decano maioris Ec
cleſiæ Capuanæ. Quibus quidem Literis nobis præſentatis, & per

nos

nos receptis cum debita qua decuit reuerentia ſupra caput, viſis,& diligenter inſpectis, volentes ad illarum executionem procedere, Reuereñ Inſtañ,& petente dicto Domino Iacobo ,per noſtrum edictum, in valuis maioris Eccleſiæ Capuanæ, & maioris Eccleſię Beneuentanæ in ſcriptis factum, noſtro ſigillo munitum, poſitum, & affixum citari, & moneri fecimus omnes, & ſingulos homines,& perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares; quorum intereſſet,& Intereſſe poſſet, vt infra certum peremptorium terminum competeñ in dicto edicto pręfixum comparere deberent coram nobis, & noſtra Curia in maiori Eccleſia Capuañ, poſt miſſarum ſolemnia, hora debita, & conſueta audituri quandam expoſitionem faciendam per dictũ D. Iacobum, ſeu eius Yconomum procuratorem ſuper dicta conſuetudine obſeruata per prædeceſſores Priores, & Magiſtros dicti Hoſpitalis ab eo omni tempore, cuius in contrarium memoria hominum non exiſtit, quomodo dicti prædeceſſores Priores, & Magiſtri omnes, et ſingulos homines, et perſonas vtriuſq; ſexus, quas,et quos morbo lepræ laborantes, in toto Regno Siciliæ citra, et vltra Pharum,ac in certis Terris,et locis dicti Regni,et in Ciuitate,et Diœceſi Beneueñ dicti prædeceſſores Priores, et Magiſtri reperierunt, cum eorum rebus, et bonis ceperunt, et ad Hoſpitalia, et Domos, et manſiones Hoſpitalium Leproſorum reduxerũt, et portauerũt: et ſic etiam obſeruatur de pręſenti; ac dicturi, et oppoſituri contra prædicta quicquid opponere, dicere,et allegare voluerint; alias in eorum contumacia, et abſentia procederemus, et ad admiſſionem dictarum expoſitionis, et examinationis teſtium producẽdorum , et ad omnes, et ſingulos actus neceſſarios, et oportunos in prædictis, legitimis dilationibus præcedentibus vſq; ad noſtram declarationis ſententiam, ſecundum quod iura volunt. Et ſuper dicta cauſa aſſumpſimus in actorum notarium,et ſcribam pręfatum notariũ Antonium de Ceſis Apoſtolica auctoritate notarium. Quo quidẽ edicto emanato, et dicto adueniente citatorio, edicto præfixo, et elapſo dictum edictum per noſtrum nuncium, a dictis valuis dictarum Eccleſiarum amoueri fecimus, et illud in actis noſtræ Curiæ per dictum noſtrum actorum notarium redigi; et per ipſum Dominum Iacobum coram nobis,et noſtra Curia comparentem facta fuit expoſitio ſupradicta, ſecũdum q; in dicto citatorio edicto continetur, ſuper dicta conſuetudine ſeruata,et per conſequens in poſterum ſeruanda in contumaciam dictorum citatorum, vocatorum, et non comparentium, prout hæc et alia in expoſitione ipſa, et actis noſtræ Curiæ plenius continetur. Deinde vero die vigeſimo ſecundo dicti menſis Martij eiuſdem anni octauæ indictionis, coram nobis Decano , et Commiſſario in maiori Eccleſia Capuañ p̄dicta comparens hoñ vir Abbas Antonius Marzachius Canonicus Beneuentanus, germanus frater, et procurator, vt dixi, religioſi

 Viri

Viri Fratris Auguſtini Marzuchij, procuratorio nomine, et propter ipſius quandam petitionem in ſcriptis obtulit, & præſentauit, pro ut in actis dictæ noſtræ Curiæ continetur; Quam quidem petitionem per dictum Abbatem Antonium procuratorem, vt ſupra præſentatam, non recepimus in figura iudicij, pro eo quod oblata fuit infra ferias Paſchales, & ſimiliter extraiudicialiter reſpondimus eidem procuratori eiuſdem Fratris Auguſtini q venire debeat ad dictam primam diem iuri dicam poſt dictas ferias Paſchales hora veſperorum in dicta maiori Eccleſia Capuañ, & tunc poterit dictus ꝓcurator, ſi voluerit, dictam petitionem offerre; & nos ex nunc pro tunc offerimus ipſum procuratorem quo ſupra nomine audire, & congruum reſponſum ſuper dicta petitione dare, prout Iuſtitia ſua debit. Qua quidem expoſitione per dictum D. Iacobum coram nobis, & noſtra Curia facta, fuit per nos, & noſtram Curiam lecta, & admiſſa, ſi & in quantum de iure admitti potuit, & debuit: & ꝑfiximus eidem Domino Iacobo certum terminum ad probandum contenta in dicta expoſitione, ac in dicto citatorio edicto. Infra quem quidem terminum ad probandum datum, per ſapientem virum notarium Henricum Meſſe de Capua procuratorem, & Yconomum dicti Domini Iacobi penes acta dictæ noſtræ Curiæ conſtitutum, & factum, producti, et præſentati fuerunt nonnulli articuli, ſeu poſitiones in ſcriptis: quarum poſitionum tenor talis eſt, Infra ſcripta ponũtur, & ſimiliter infradictũ terminũ ad probandũ datũ pro parte dicti Notarij Henrici Yconomi, & procuratoris ad probandum contenta in dicta expoſitione, citati fuerunt nonnulli teſtes, ſimiliter per noſtrum edictum in dictis valuis maioris Eccleſię Capuañ poſitum, & affixum peremptorie citati fuerunt omnes illi homines, & perſonæ quorum intereſſe putarent, infra certum cõpetentem terminum in dicto edicto pręfixum, comparere deberẽt coram nobis, & noſtra Curia teſtes perhibituri eorum teſtimoniũ veritatis, & illi quorum intereſſe putarent ipſorum teſtium iuramenta viſuri, ac dicturi proceſuri, & cõtra dictos teſtes, & ipſorum dicta, & depoſitiones, prout in actis dictæ noſtræ Curiæ continetur: & adueniente termino comparitionis dictorum teſtium productorum, nobis & noſtræ Curiæ pro tribunali ſedentibus, cõparuerunt teſtes ipſi qui in præſenti iudicio vocati iurauerunt ad ſancta Dei Euangelia, dicere veritatem de ijs de quibus interrogati fuerint ſuper dictis articulis, & poſitionibus; quos vnum poſt alium ſemotim, & in ſecreto loco Iudicij vt moris & iuris eſt dilígẽter examinauimus, & interogauimus; & ipſorum dicta, & depoſitiones in ſcriptis redigi fecimus per dictũ Notarium Antoniũ de Ceſis actorum Notarium per nos aſſumptum vt ſupra, quarum depoſitionũ tenor ꝑ omnia talis eſt. Teſtes examinati pro parte dicti ordinis S. Lazari. Et ſubſequenter vero die tertio menſis Aprilis eiuſdem præ

ſentis

ſentis annioctauæ Indictionis, Præfatus Abbas Antonius Marza-chius procurator vt ſupra coram nobis, & noſtra Curia produxit, & præſentauit quaſdā Inhibitorias Literas ex parte egregij vtriuſq; iuris Doctoris domini Ioannis Loyer Archidiaconi Eccleſie Conſtantieñ Rothomageñ Prouinciæ, Domini noſtri Papæ Capellani,& ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditoris ſpecialiter deputati; quarum Literarum tenor in actis noſtræ Curiæ continetur. Quibus quidem ſupradictis teſtibus p nos examinatis vt ſupra inſtañ, & peteñ dicto notario Henrico Yeonomo, & procuratore vt ſupra a nobis,& noſtra Curia emanatum fuit aliud citatorium edictum in ſcriptis, & in dictis valuis dictæ maioris Eccleſiæ Capuanę poſitum & affixum vt ſupra; vt omnes homines, & perſonæ quorum intereſſe putarent, infra certum competētem terminum comparere deberent coram nobis, & noſtra Curia viſuri præſentationem,& apertu ram dictorum teſtium productorum,& examinatorum vt ſupra,ac dicti proceſſus agitati, & facti ſu per cauſa prædicta. Quo quidem termino in dicto edicto præfixo adueniēte, & elapſo comparuit dictus notarius Henricus Yconomus, & procurator vt ſupra,& ipſius voluntate in contumaciam dictorum citatorum, & non comparentiū fuit facta pſentatio dictorū teſtium, & apertura dicti proceſſus, Deinde vero hodie die quintodecimo menſis Ianuarij præſentis Indictioñ nobis, & noſtra Curia pro tribunali ſedentibus in dicta maiori Eccleſia Capuana more, & loco ſolitis pręcedenti primo alio monitorio, & citatorio edicto contra quoſcunq; homines, et perſonas qui ſua intereſſe putarent quod comparere deberent infra certum competentem terminum audituri noſtrā declarationē, et ſententijs ſuper pręedictis per dictum Dominum Iacobū de Azia expoſitis, ad declarationem,et ſentētię probationem proceſſimus, et in ſcriptis noſtræ declarationis ſententiam protulimus in hunc modum. Vnde Nos qui ſupra,Dominus Martinus de Angelis Decanus vt ſupra, vna cum dicto notario Antonio pro tribunali ſedentes, viſis, et diligenter inſpectis totius præfatæ cauſæ meritis, et p ceſſu, habitoq; ſuper ijs pleno conſilio, diligenti, cum deliberatione matura, quia per ea quæ vidimus, reperimus, et inuenimus, et nobis, et noſtrę Curiæ legitime conſtat, ꝙ prædeceſſores Magiſtri, et Priores dicti Hoſpitalis Militiæ Sancti Lazari in toto Regno Siciliæ citra, et vltra Pharum ab eo quaſi tempore cuius nō extat memoria hominum in contrarium,fuerunt,erāt,et ſunt in poſſeſſione dictos leproſos, et morbo lepræ infectos vbicumq; eos reperiri cōtigerit in dicto Regno Siciliæ citra, et vltra Pharum capere, et capi facere, ipſosq; cum rebus, et bonis eorū portare, et ducere ad Hoſpitalia, et Domos Leproſorum ordinis ſup adicti ſine aliqua contradictione, et obſtaculo; et ſic fore, et eſſe obſeruatum ex antiquata conſuetudine ſupradicta. Ideo Chriſti nomine inuocato, ſine

quo

quo nullum rite fundatur exordium, præmiſſo prius ſignaculo Sã-
ctæ Crucis, ſententiamus, & declaramus, nihil ramen contra dictã
Præceptoriam, & Diœceſim Beneuentañ poſt dictam inhibitionẽ
nobis factam attentantes, dictum Dominum Iacobum Generalem
Magiſtrum, & Priorem vt ſupra & ſucceſſores ſuos poſſe, & debere
ſecundum dictam conſuetudinem, capere, & portare dictos Lepro
ſos vtriuſq; ſexus in toto dicto Regno, & Terris citra, & vltra Ppha
rum; & ſic dictam antiquatam conſuetudinem capieñ, & portañ,
ac portari facieñ Leproſos, & infirmos prædictos per Magiſtrum,
& Priores dicti Hoſpitalis debere ſeruari, & ſeruandam fore, & eſſe
dictumq; Dominum Iacobum de Azia Priorem, & Generalem Magi
ſtrum vt ſupra, & ſucceſſores ſuos non debere turbari, & moleſtari
ſuper prædictis. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis contra
dictoribus, & rebellibus, eoſq; per cenſuram Eccleſiaſticam compe
ſcendo ex parte dictæ Sedis Apoſtolicæ, q; dictum Dominum Iaco
bum de Azia generalem Magiſtrum, & Priorem dicti Hoſpitalis, &
ſucceſſores ſuos in dicto Prioratu moleſtare, & turbare non debeãt
ſuper captione dictorum Leproſorum, portationeq;, & redditione
eorum ad Hoſpitalia, & Domos Leproſorum ordinis ſupradicti cũ
rebus & bonis eorum modo, vt ſupra: Et ſuper antiquata conſuetu-
dine, ſupradicta in ijs ſcriptis, hanc noſtram ſententiam, & declara
tionem proferentes lecta, lata, & recitata, etiam in dicta maiori Ec-
cleſia Capuañ præſentibus ad hæc omnia venerabilibus nobilibus
& diſcretis viris v3. Abbate Mando Murano, Abbate Iacobatio, Ma
giſtri Philippelli, Abbate Stephanetto Montanario, Abbate Nũcio
de Marco canonicis Capuanis, Frãciſco de Antimano, Andrea de Al
berto, Notario Donato de Potẽtia notario Iacobo Morrono, & no
tario Andrea palmerio de Capua teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpe-
cialiter, atq; rogatis, præſentibus quoq; Domino Iacobo prædicto
de Azia quo ſupra nomine, & notario Henrico Yconomo, & procu
ratore vt ſupra, & dictam declarationis ſententiam laudantibus, &
emologantibus, & acceptantibus. Quibus omnibus ſic peractis, &
celebratis, præfatus Dominus Iacobus de Azia prior, & Magiſter ge
neralis vt ſupra, de dictæ declarationis ſententia, & prolatione ip-
ſius ſic vt præmittitur, per præfatum Dominum Decanum, Cõ-
miſſarium, & Iudicem delegatum vt ſupra, et eius Curiam lata,
& promulgata requiſiuit, & rogauit auctenticum me Notarium
publicum ſupradictum, & infraſcriptum meum ſuper hoc offi-
cium implorando, & ad cautelam dicti Domini Iacobi de Azia
Magiſtri, et Prioris Generalis vt ſupra, ac præfati Ordinis, et Militię
Sancti Lazari Hieroſolymitani, et eius partis certitudinem quorũ-
cumq;, et ad futuram, et æternam rei memoriam conficere debere
publicum Inſtrumentum Cuius requiſitionem, et preces ego nota
rius publicus, ſupra, et infraſcriptus admittens vt iuſtas, eo ma-
xime

xime q; officium meum quod publicum eſt, nō poſſum, nec debeo alicui de iure negare, de prolatione dictæ declarationis ſententiæ, ac omnibus alijs, & ſingulis ſupradictis ad cautelam prædicti Domini Iacobi de Azia quo ſupra nomine, & ſucceſſorum eius prædictorum, ac prædicti Ordinis, & eius partis, & certitudinem quorūcumq;, ad futuramq; rei memoriam, confectum eſt exinde manu mei notarij publici infraſcripti hoc præſens publicum Inſtrumentum, Datū, & actum in loco præfato ſub anno a natiuitate Domini Nr̄i Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, Die vero quintodecimo menſis Ianuarij nonæ indictionis, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Eugenij diuina prouidentia Papę quarti anno Quintodecimo, pręſentibus teſtibus ſupradictis ad pręmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. Et Ego Antonius de Ceſis Ciuis Capuañ publicus Apoſtolica auctoritate notarius, ac notarius, & ſcriba aſſumptus vt ſupra per ſupradictum Dominum Decanum Iudicem, & Commiſſarium deputatū vt ſupra, omnibus, & ſingulis actis cauſę prędictæ, dictęq; declarationis ſententię, ptolationi, ac omnibus, & ſingulis ſupradictis dum ſicut pręmittitur, per pręfatum Dominum Iudicem, & Commiſſarium deputatum, vt pręfertur, & eius Curia agerētur, & fierēt, vna cum prȩnominatis teſtibus pro notario publico aſſumptus, & vocatus, & requiſitus vt ſupra ab eodē Domino Iacobo de Azia generali Magiſtro, & Priore vt ſupra, pręſens interfui, eaq; omnia, & ſingula ſic fieri vidi, audiui, auſcultaui, & publicaui; ac in pręſentem publicam formam, & ſcripturam de ipſius domini Cōmiſſarij quo ſupra nomine, mandato, & commiſſione, & eius Curia propria manu redegi, & ſcripſi, ſignoq;, & nomine meis conſuetis quibus vſus ſum Apoſtolica auctoritate, vna cum ſubſcriptione proprię manus dicti Commiſſarij, ac eius ſigilli appeñ, ad cautelam pręfati Domini Iacobi de Azia generalis Magiſtri, & Prioris vt ſupta, ac Ordinis ſupradicti, & certitudinem quorumcumq;, ac ad futuram, & æternam rei memoriam in pręmiſſorum teſtimonium conſignaui, ſub anno Domini, die menſe, indic. loco, & Pontificatu pręddictis, pręſentibus teſtibus ſupradictis. Quo quidem originali Inſtrumento, in charta de pergameno ſcripto, & per nos bene, & diligēter inſpecto, ad requiſitionem, & preces dicti Reuerendiſſimi Domini Pyrri Loyſij Magni Magiſtri, & pręceptoris vt ſupra, per notarium publicum infraſcriptū noſtrę Curię actorū Magiſtrū, dictū Inſtrumentū ſanum, & integrum vt ſupra nobis p̄ſentatū originaliter tranſumptari, & exemplari mandauimus, ac in publicam tranſumpti formam redigi ꝑ cautela dicti Domini Pyrri Loyſij, ac ſuorum ſucceſſorum in dicta Præceptoria, Decernentes, & volentes vt huic p̄ſenti publico tranſumpto ſic exemplato, deinceps plena fides adhibeatur vbilibet, & in locis omnibus, quibus præſens tranſumptū

pręſentatum

præſentatum fuerit, fidem indubitatam faciat, & illi ſtetur, & credatur in Iudicio, & extra, ac ſi origina liter dictum Inſtrumentum ſententiæ appareret, & in medio exhiberetur, Quibus omnibus, & ſingulis ſupradictis auctoritate in noſtri Vicariatus officij, pariter & decretũ interpoſuimus, ꝑut pręſentiũ tenore interponimus, om nibus melioribus modo, via; Iure, & forma quibus magis, melius, & efficacius de iure poſſumus, & valemus. In quorum fidem, dictiq; Reuerendi Pręceptoris, ſuorumq; ſucceſſorum caurelã has noſtras pręſentes patentes Literas huiuſmodi Tranſumptum in ſe cõtinen̄ ſiue continens exinde fieri, & per notarium publicum infraſcriptũ, dictæq; Curiæ actorum magiſtrum, & ſcribam tranſumptari, & ſumi mandauimus, Sigilliq; dictæ Curiæ quo in ſimilibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appen̄, communiri. Actu. in Archiepiſcopali Palatio Neapolitano ſub Anno Domini Milleſimo Quingẽteſimo, trigeſimo nono, die vero octauo menſis Octobris xiij. Indictione, Sanctiſſimi in Chriſto patris, & Domini Noſtri Domini Pauli diuina prouidentia Papæ iij. Anno Quinto, Pręſentibus ibidem diſcretis uiris Annibale de Cõſtantio de Neapoli, & dicto Antonio Feſta de Ciuitate Auellin̄, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atq; rogatis.

ET Ego Ioan. Antonius de Agriſanis de Neap. publicus Apoſtolica, & Regia auctoritatibus, cauſarumq; Archiepiſcopalis Neapolitan̄ notarius, & ſcriba, quia dictis exemplationi, productioni, tranſumpto. omnibuſq;, & ſingulis ſupradictis dum ſic ut prædicitur, agerentur, dicerentur, & fierent, vna cum prænominatis teſtibus præſens rogatus interfui, eaq; omnia, & ſingula ſic fieri vidi, audiui, publicaui, in notam ſumpſi, ex qua hoc præſens publicum tranſumpti Inſtrumentum aliena manu fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, ſignoq;, & nomine meis ſolitis, & conſuetis, vna cũ ſigilli appenſione prædictæ Curiæ Archiepiſcopalis ſignaui in fidem præmiſſorum rogatus, & requiſitus.

Locus ✠ Signi Notarij.



LOCVS SIGILLI ✠ CVRIAE ARCHIEPISCOPALIS.